

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Johannis Mulmanni, SS. Theol. dum viveret, Licent.
ejusdemq[ue] Prof. Publ. ord. ad D. Nicolai Archi-Diac. &
Alumnorum Electoralium Ephori, in Academia & Ecclesia
Lipsiensi, Commentarius In Librum ...**

Mülmann, Johann

Dresdæ, MDCCI

VD18 10367071

Caput Decimum.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18377

CAPUT DECI- MUM.

Ἐποχή.

Describitur in hoc capite insigniter *miraculo-
sa victoria*, quâ DEus Josue pietatem ob ju-
ramentum servatum gratis compensavit, ut
eo pacto testatum faceret, velle se juramen-
ta in magno precio haberi, nec levi de causa rescindi.
Pugnat autem Josue non tantum pro se, sed etiam pro
confœderatis Gabaonitis, quinque regibus pedibus
conculcatis, occisis manipularibus, eorumq; regio-
nibus & sedibus longè lateq; juxta præceptum Domini
devastatis.

Dispositio.

*Partes capitis tres sunt. I. Continet apparatus bel-
licum, tam ex parte hostium, quàm Gabaonitarum &
Israelis usq; ad v. 9.*

*II. Continet cladem, quâ quinque reges cum suis ex-
ercitibus affecti sunt, ita ut in iis miraculosæ victoriæ
exemplum propositum habeamus, usque ad v. 28,*

*III. Complectitur aliarum urbium eversionem cum
suis vicinis, usq; ad finem.*

DE



EX PRIMA PARTE.

Quæ cum audivisset) In prima parte consideretur:

I. *πεαζις* regis Hierosolymitani Adonisedech, (*qui nomen habet à Dominio & justitia*) quomodo sese ad bellum adversus Gabaonitas accinxerit.

II. *Αδινπεαζις* Gabaonitarum, quomodo hi ad resistendum hosti se vicissim paraverint.

Bellis quo Gabaonitæ intestantur. I. *αἰλιον υδρουν* seu *ωεμαχον* (*der erst ausgeschlagen*) est rex Adonisedech v. 1. 2. *αἰλιον ωεγνυμενον* est metus magnus contractus partim ex tragico nuncio urbium everfarum Hai & Jerichorum regum illarum v. 1. partim ex confederatione Gabaonitarum. Ubi urbs commendatur I. *â quantitate* i. e. amplitudine seu magnitudine, quod capax fuerit conspicuæ hominum multitudinis. v. 2. Amplificatur hoc argumentum duplici comparatione, I. cum civitatibus regalibus i. e. dignis ubi regum throni ponerentur. 2. cum urbe Hai.

2. *â qualitate* civium, quod fuerint fortes i. e. robore corporis & magnitudine animi alioquin præstantes.

III. *αἰλιον συνεργον* seu *ωενεελυον* i. e. *cause administrantes & juvantes* sunt quatuor reges, qui describuntur I. *â nominibus propriis*. 2. *ab adjunctis* locorum & ditionum. v. 3.

IV. *αἰλιον ωενεελυον* respectu sociorum belli est petitio regis Adonisedech, in qua causam exprimit oppugnationis, nempe confederationem Gabaonitarum.



V. Additur *petitionis effectus*, quod impetraverit nimirum regum Amorrhæorum auxilia.

His opponitur tanquam *avli regis* Gabaonitarum legatio ad Iosuum. *Oratio* *περοβελων* constat *Propositione & Confirmatione*.

Propositio habet *ἀεσι*, v. tex. *ascende citò*. Insurguntur autem ornamenta Rhetorica &c.

I. *Periphrasis metaphorica desertionis*: *Ne retrahas manum tuam à nobis*, i. e. *ne deseras me*.

II. *ωάθ* est in voce (*servorum*) quæ Iosuum æquitatis admonere volunt.

III. *συναδουσι* *Imperativorum*: *ascende citò libera fer præsidium* v. 6.

Confirmatio sumitur à *necessario* vel à *periculoso*, quia omnes reges Amorrhæorum nos oppugnatum confluunt; Periculum hoc exaggeratur,

1. à *quantitate*; non pauci sed omnes conveniunt.
2. à *qualitate & relatione*: Non sunt gregarii milites sed reges.
3. à *natione*, sunt Amorrhæi, i. e. hostes atrocissimi.
4. à *fine*, convenerunt adversum nos, i. e. ut nos universali exitio mactent.
5. *Ab adjuncto loci*: qui habitant in montanis, quorum mores solent esse asperiores & ferociore.

Ana-

*Analysis Grammatica.**v. 1. Adonizedec rex Jerusalem)*

Rex Jerusalem convocat aliquot reges ad resistendum Josuæ & ad oppugnandum Gabaonitas, vel quia cæteris potentiâ & auctoritate fuit superior: vel quia videbat suam civitatem in majori periculo versari, quàm aliàs: Erat enim Gabaonitis vicinior, ac metuebat, ne reliqui quoque populi exemplo tantæ urbis ad defectionem sollicitarentur.

v. 3. Hebron) Hanc urbem nobilitavit 1. Abraham sepultura uxoris suæ Saræ Gen. XXIII, 19. 2. Fuit ibi posita sedes divinorum cultuum tempore Davidis. 2. Reg. XV, 7. 3. Incoavit ibidem David regnum suum & administravit illud ibidem 7. annis. 3. Reg. II, 11. 4. Adde & hoc, quod Hebron præbuerit hospitium sacerdotibus Jos. XXI, 11.

v. 5. Quinque reges) magnus fuit numerus regum in terra Canaan. Nec enim tantum singulæ nationes reges suos habuerunt, sed ferme singulæ civitates c. XII, 24. occidit Josua Reges. XXXI. & judic. I, 7. legitur Rex Adoni Besec 70. captivos reges sub mensa micis aluisse. Quare quò ob multitudinem erant infirmiores & impotentiores, eò in majori metu, ne à Josua expellerentur, versabantur.

Amorrhæorum) Per synecdoch. part. pro toto: Omnes reges Cananæi dicuntur Amorrhæi, cum tamen ipse Adonizedec non fuerit Amorrhæus propriè sed Jebusæus. Nam Jerusalem olim dicebatur



Jebus Jos. XVIII, 18. Unde Jebusæi appellationem adepti sunt I. Par. II, 4. Sic rex Hebron fuit Hebeus Gen. XXIII. & urbs Sichem dicitur de manu Amorrhæi e-repra Gen. XLVIII, 22. Cum tamen ejus rex Hemor fuerit Ephæus non Amorrhæus Gen. XXXIV, 2. Similem locum vide Amos II, 9.

QVÆSTIO:

An Gabaon urbs fuerit regi Jerusalem subjecta?

Hoc nonnullis videtur, qui inde regi causam datam esse arbitrantur, perjuros ad sui domini habenas vi revocandi.

I. *Ratio.* Quia nulla fit mentio proprii regis Gabaonitarum.

II. Dicitur secundum Hebræum textum *Gabaon* quod una civitatum regni; Ergo non fuit civitas regni. Et per consequens fuit alii regi subjecta.

Sed huic sententiæ obstat, quod unus rex diversis populis in terra Canaan non imperavit. At Jobusæi & Hetei fuerunt diversi populi. Jam Jerusalem inhabitabant Jebusæi, ut probatum est ex I. Par. II, 4. At Gabaonem tenebant Hephæi Jos. II, 19. Ergo utriusque non imperavit rex Adoni-Besec.

Verisimile est igitur Gabaonem habuisse peculiarem regem, cujus mentio ideò non fuit facta, quia non regis sed populi historia narratur.

Deinde ut ad secundum argumentum respondeam, litera non semper est similitudinis sed etiam assertio-

nis

nis & valet idem, quod (erat quippe una civitatum regni) sicut & particula *ὡς* Joh. I, 14.

Aut si litera *ο* habet vim comparandi seu similitudinis, potest Gabaon dici una more Hebræo pro prima, quemadmodum una Sabbatorum dicitur pro prima, Marc. XVI, 2. Luc. XXIV, 1. Joh. XX, 1.

LOCI THEOLOGICI.

De moribus impiorum.

I. *Impi* intuitu exemplorum divinæ vindictæ tristissimorum adeò ad resipiscentiam nihil commoventur, ut etiam inde longè deteriores evadere solent. Audierat *Adoni Beseec* nullum regem, nullosque populos potuisse Israelitis resistere, quin potius omnes, qui hoc tentassent, pessum ivisse. Tamen ne minimam partem ingenium emendare cupit, donec ipse quoque suo exitio commune Amorrhæorum cladem auget & miserabiliorem reddit. Tanta est impiorum *σκληροκαρδία*, ut nec verbis nec pœnis flecti velint. Qua dere conqueritur DEUS gravissimè Es. XLVIII, 4. *Sci vi quia durus es tu, & nervus ferreus cervix tua, & frons tua aenea.* Et Ezech. III, 7. *Nolunt audire me &c.* Sanè hæc est nativa illa libertas voluntatis humanæ, quod honestæ disciplinæ jugum petulanter & contumaciter projicit.

II. Cum propter peccata sua in ærumnas præcipitantur, audent cum propriis tum ascitis hominum viribus inde eluctari. Ideò enim rex Jerosolymitanus 4. sibi reges adjungit, ut neglecto DEI auxilio eorum

Ccc 3

sup-



suppetiis exercitum suum corroboret. Experitur autem id, quod David impiis prædixit Ps. XXXVI, 17. *Brachia peccatorum conterentur.*

II.

Est Allegoricus de fortuna Ecclesie DEI, & qui se eidem adjungunt.

Gabaonitæ ab initio inter medios Amorrhæos fruuntur pace & tranquillitate, ad quam primum fœdus cum populo DEI iniverunt, persequuntur eos vicini quantum possunt viribus. Sic qui secessione à satana facta societatem cum vera Ecclesia paciscuntur omnibus injuriis in hoc mundo expositi sunt Ps. XXXIII, 30. Nullam aliam ob causam, nisi quia cum piis fecerunt pacem, ideò David inquit Ps. XXXVII. *Inimici mei oderunt me iniquè. Qui retribunt mala pro bonis, versantur mihi, quia sequebar bonitatem.* Et quod tale sit pietatis exordium & curriculum, testatur DEUS ipse per Jeremiam c. XXV, 19. *Ecce in civitate, quæ denominata est à nomine meo, ego incipio affligere,* item, 2, Tim. III, 12.

III.

LOCUS ALLEGORICUS.

De constantia in confessione.

Gabaonitæ licet ob multitudinem regum armis concurrentium magno metu occupati sint: Tamen non deficient ab Israelitis, nec fœdus dissuunt, sed in fide constanter perseverant: Sic nos acerbitatem crucis ac multifaria pericula tanti non faciamus, ut propter



pterea factō religionis divortio, à veræ Ecclesiæ amplexu resilire velimus. Audiamus potius vocem angeli Apoc. II, 10. *Esto fidelis usq; ad mortem.*

IV.

LOCUS ALLEGORICUS.

De salutaris crucis effectu.

Sicut *Gabaonitæ* in extremas vitæ angustias redacti ad Josuam supplices confugiunt: Ita nos cruce urgente à Christo nostro ἀλεξιδικῶ opem petamus humillima devotione. Cum enim is per verbum & Sacramenta fœdus æternum pacis nobiscum iniverit, facere non poterit, quin nos per fidei vinculum sibi confœderatos contra omnem vim & injuriam Sathanæ ac mundi defendat. Hanc ob causam immittit DEUS suis tribulationes, ut ex Hof. VI, 1. clament: *Revertamur ad Dominum, quia ipse laceravit & salvavit nos, percussit & curavit nos.* Unde Esaias XXVI, 16. *Domine, inquit, in angustia requirunt te.* Vide 2. Par. XX, 9. & 12.

LOCI POLITICI.

I.

De quantitate & qualitate civitatum.

Descriptio urbis Gabaon revocat nobis in memoriam politicum πρῶτον, quod extat lib. 4. polit. c. 12. ἐστὶ πᾶσα πόλις ἐν τῷ ποίῳ καὶ πόσει. i. e. *constat omnis civitas partim ex quantitate, partim ex qualitate.* Hoc enim civitatem facit non tantum præstantem, sed etiam internis & externis hostibus formidabilem: i. si ea fit



fit πολυάνδρον i. e. civibus præstantibus ac strenuis conferta. Hæc duo civitatem muniunt ac custodiunt omnibus muris ac hortis melius. Ac propterea adeò metuit Adonisedec, ubi intellexit, neutrum ex his 2. præfidiis Gabaoni de esse. Longè tamen munitior est locus, quem DEUS ipse sanctorum angelorum præfidio circumvallat, Pf. CXXVI, 2.

II.

De utilitate confœderationum.

Actum esset jam cum Gabaonitis, si pacis fœdus cum populo DEI non percussissent. Hic fructus ex confœderationibus nasci solet, de quo Menander:

Ἄνθρωπος γὰρ ἄνδρα καὶ πόλιν σώσει πόλιν, i. e.
Vir enim virum & urbs servabit urbem.

Duo autem in pactis ineundis observentur. *Unum* est, ut cum iis præcipuè paciscamur, qui religione & fide à nobis non dissentiant: Isti enim gaudent DEI præsentia & auxilio: nec est, quod metuamus multitudinem hostium. Nam à parte Adonisedec pugnant 4. reges, à Gabaonitis verò unus Josua cum suo exercitu, & tamen penes hos manet victoria. *Secundò*, ut amemus in servanda fide constantiam, de qua Cicero in officiis sic loquitur. *Nec enim ulla res vehementius rempub. continet, quam fides.* Et Q. Curtius de gestis Alexandri lib. 8. *Fides, inquit, stabile & æternum facit imperium.* Rectè igitur Plautus. *Fac fidelis sis fideli, cave fidem fluxam feras.* Huic præcepto morem gerunt Gabaonitæ, dum Josuæ fidem servant, & viro bono se malunt concedere, quàm multis regi-

gi-

gibus beneq; munitæ urbi, non diffimilis illi, quæ putabatur rupem inexpugnabilem tenere, nihilominus tamen Alexandro se dedit.

At hic illius non modò ditionis illum principem constituit, sed etiam addidit: *Hic mihi videtur sapere, qui se potius bono viro, quàm loco munito credit.* Vide *Plutarchum in Apophthegm.*

DE II. PARTE CAPITIS X.

v. 7. *Ascenditq; Josue de Galgalis*) Hæc est altera pars capituli de miraculosa Gabaonitarum defensione & regiâ clade Amorrhæorum. Gloriosa sanè hæc est victoria non tantum ob exitia regum, sed etiam ob divina miracula. I. ἅγιος illius ὄψα-
νιστὸν est Josue cum suo exercitu viris selectissimis.
v. 7.

2. Κοινῆτιον; remotum est confœderatorum petitio v. 6. propinquum est promissio DEI hostes in manus Josuæ tradentis v. 8. Adipiscitur autem victoriam Josue. I. festinando, v. 9. II. Orando, v. 12. III. Hostes fugientes insequendo & cœdendo, v. 19. &c.

3. ἄλιον νόστον est DEUS, gemino miraculo victorem Josuam adjuvans, unum est pluvia lapidum v. II. Alterum inhibito cursu Solaris & Lunarum per integri diei spatium v. 12. Miraculum primum amplificatur ἀπὸ ἀλλοῦς i. e. per circumstantias.

Ddd

I. Quan-



1. *Quando?* Cum Amorrhæi fugerent.
2. *Quis* autor est miraculi? Resp. Dominus.
3. *Quid* fecit? Pluit lapides magnos,
4. *Unde?* De cælo.
5. *Quousque?* à descensu Bethoron usq; ad Ath-
feca.
6. *Cur?* Ut dederentur hostes Israël. v. 11.

Alterum miraculum amplificatur I. *κίολογία* sive
à causis

1. *Impulsiva* fuit oratio Josuæ, v. 11. & 14.
2. *Subjectum* est Sol & Luna.
3. *Forma* est ipsa statio.
4. *Finis* est ultio inimicorum v. 13. & 14.

Secundo, à testimonio libri justorum:

Tertio, ab ἐξέγασια, expositioe V. T. Sol stetit.

*Quarto, συνηγορία dierum antecedentium & conse-
quentium. v. 14.*

*Quinto, Epilogo, in quo fit mentio reditus Josuæ ad
castra. Huc usq; principalis causa.*

IV. *Victorie causa formalis* est ipse actus triumphalis, ad quam pertinet

1. quinque regum ex speluncis adductio v. 22.
2. Eorundem conculcatio. v. 24.
3. Josuæ admonitio consolatoria ad suos principes. v. 25.
4. Regum suspensio & interfectio.
5. Sepultura regum, v. 27.

v. 7. *Omnis exercitus*) Hebr. *Omnis populus belli cum eo & omnes potentes virtute.* Tales enim decebat in campum producere, partim ob multitudinem regum Gabaonem oppugnantium, partim ob datum juramentum, in quo servando nemo volebat postremus videri.

Conturbavit) *Jon.* confregit. *Hieronymus*, conturbavit. *Masius*, mente permovit. Græcè. ἐξέστησεν. In Hebræo est מַחְרַח quod significat *tumultu ac impetu magno ad cunctas usque partes terrefacere*, ut quando præ angustia gens contra gentem pugnat. 2. Par. XV, 6. cu jusmodi sunt, quos fulgur ac tonitru tangendo percussit. 2. Sam. XXII, 15. Atque jam explet DEUS promissionem supra datam Exod. XXIII, 27. Cum enim inibi se terrorum divinitus immissurum in animos gentis Chananaicæ pollicetur, hoc ipso utitur verbo; Sic enim loquitur: Terrorem meum mittam antete, וַיִּחַר, Gr. ἐκστήσω i. e. & deturbabo de mente ac ratione omnem populum.

v. 10. *Per viam ascensus Bethchoron*) Duæ fuere urbes nomine בית-חורון, altera superior dicta est, altera inferior. Illa cum Ephraimitis fuisset sorte assignata, Levitis deinde attributa est; Hæc videtur Benjaminitis obtigisse. 1. Par. VII, 24. memoriæ proditum est, utramque à Sarâ quâdam filiâ Ephraimi esse conditam: Post autem à Salomone utramque munitam esse muris, portis, vectibus, testatur alter Paralipomenon liber, c. VIII, 5. Sed Regum historia solius inferioris meminit tanquam à Salomone in-

Ddd 2

stav,



staurata, lib. i. c. lX, 17. Videntur autem ambæ haud magno loci intervallo disjunctæ prope Nicopolim si-
ve Emaunta existisse, nonnihil versus Septentrio-
nem, si è Gabaone spectes, ut certè à D. Hieronymo
sunt in Paulæ Epitaphio descriptæ, ad montem Silo.
Vid. inter. Jacob Zieglerus in descr. Palæstin. De Beth-
choron inferiore hic fieri mentionem multi probabi-
liter existimant. Inter se enim discrepant, in re tamen
vix magni momenti, *Interpretes.*

*Et percussit eos usq; Hazechab &
usq; Macchedab*) נכרו *Hiph.* הכר percus-
sit, ad necem usq; occidit. *Hebræis* notissimum ver-
bum; pro quo *Targum* habet מחית , percussit, *compto-*
sit; & dicitur de manuum complosione. *R. Elias Ori-*
entalis in suâ Arithmeticâ usurpat מכר pro *multi-*
plicare, numerum sc. in multas partes discutere. עוקה
Hazechab inter Gabaonem & Macedam sitam fuisse
ipsa præsentis fugæ ratio dilucidè ostendit. מקרה
Macchedab autem posita erat, ut ait *Eusebius*, millibus
passib. 8. ab Eleuthenopoli, contra orientem: nonni-
hil tamen erat declinandum ad Aqvilonem, ut *Masius*
arbitratur.

v. II. Misit Dominus super eos la-
pides) Scribit *Livius* l. i. decad. i. cum Rex Tullus,
devictis Sabinis, magnâ gloriâ multisq; opibus rem-
auxisset Romanam, in monte *Albano* lapidibus pluif-
se, neque aliter quàm cum grandinem venti glorema-
tam in terras agunt, crebros cecidisse è cælo lapides.
Et alibi quoq; meminit similis lapidei imbris, cum *Sci-*
pio

pio ad Carthaginem res feliciter gereret, l. 10, Dec. 3. Verum illas inusitatas pluvias aut certa aëris intemperies peperit, aut malus Satan, Dei in plerisque rebus simia & fraudulentus imitator generavit, ut à malè religioso populo cultum sibi novendialem compararet. Hanc verò nostram DEus ipse produxit, suntque tria, quæ arguunt divinam providentiam in hoc miraculo. I. est, quod grandinosi lapides in nullam terræ partem ac viam decidunt, præter eam, quæ hostes aufugere conabantur. II. Est quod hostes tantummodo tangunt. Nam licet Israëlita per eandem viam eos è vestigio insequerentur, tamen nullius eorum ictus fuit. III. Est, quod in ea regione lapidosus grando generatur, quæ alias inepta est ad faciendas impressiones meteorologicas ob magnam caliditatem. Fuerunt igitur lapides isti nihil aliud, quam tela horrenda, quæ altissimus è nubibus in hostes ejaculatus est.

v. 12. *Contra vallem Ajalon.*)

Hæc *vallis* sic dicitur à *vicina urbe* Ajalon sita versus meridiem & quodammodo versus occidentem. Fit ejus mentio infra cap. XIX, 44. & XXI, 24. It. 2. Par. XIII, 10 & c. XVIII, 28. Quia autem Ajalon à Gabaone ad Occidentem declinat, & super ejus vallem Luna, sicut & super Gibeonis verticem Sol stetit, legitur, faciunt hinc veteres Judæi talem conjecturam, quasi statio illa incidisset in tempus meridianum, sole solstitii, Luna verò decrementi vicem sustinente. Quod si ita est, sequitur hoc miraculum evenisse *die primo mensis solaris Nisan*: nam hic erat *dies*

Ddd 3

sol-



solstitii. Quamquam hæc exactè computari & inquiri non possint. Potuit enim Sol in meridie supra verticem Gabaonis non tantum die ipso solstitii, sed etiam propinquis aliis diebus antecedentibus & consequentibus sine evidenti differentia conspici. Adeo tardus progressus facit Sol in ea terra circa aliquod solstitii dies, ut differentiâ vix instrumentis mathematicis, multò minus sensu oculorum deprehendi possit. Quare sufficit, *solem tum temporis vel ipsum solstitium passum esse, vel solstitio vicinum extitisse.*

v. 13. *Steteruntque Sol & Luna.)*

Miretur aliquis cur Josue jussit stare lunam, quæ tamen diurnam lucem, quæ Israelitis ad insequendos hostes imprimis opuserat, nihil adjuvet. Hujus rei nulla alia videtur reddi posse ratio, nisi quia voluit *וַאֲשֶׁר* nominare utrumque luminis diurni & nocturni vocare præfectum Gen. I, 16. Ut *tota cæli machina*, unâ substituisse intelligeretur, nec hac ratione motus cælestes turbarentur ac anteverterentur. Aliàs si stante sole luna currere perexisset, fuisset non tantum abrogatus annus solaris, (quo Judæi semper ad festorum legalium & communem rationem usi sunt) sed etiam perpetua temporum confusio introducta.

Nonne scriptum est hoc in libro juristorum?) *Hebr.* super librum *Recti.* *Alii, in libro Juris, Rectitudinis Directionis.* Ineptè nonnulli *Genesin.* a *hi Pentateuchum* intelligunt: quomodo enim in illis hoc miraculū perscribi potuit, antequam evenit? Nec minus inconvenienter alii *librum duodecim Prophetarum,*

rum, aut *Prophetiam Habacuci*, ob c. III, II. notari piti-
 tant: quia autor libri Josuæ sine dubio his est antiqui-
 or. Sunt, qui cum *Masio* librum *annalium populi Ju-
 daeorum* notari volunt, sed qui relatus sit in sacra volu-
 mina, quod meritò rejicit *Ponfrerius*. Rectiùs sese
 habet illa sententia de libro *metrico*, quo res gestæ He-
 roum & virorum decantatæ, è quo etiam *placitum Da-
 vidis* desumpti sunt, 2. Sam. I, 18. de quo *Sanctius* &
Bonfrerius, *Cornelius* putat, quod liber annalium non
 canonicus aut Catalogus Sanctorum fuerit. Sed an-
 nales non solent rhythmis describi, quales hi à pleris-
 que, etiam ab ipso *Cornelio* habentur. Conf. *Sixt. Se-
 uens*, ut & *Walther*, in *Officin. Bibl.* p. 186. *Drusius* in
 Ann. ad h. l. ita: *Hunc librum intercidisse pleriq;
 omnes fatentur: forenses autem fuisse quæ asse-
 rit, credemus, ubi hoc probaverit. Nam quæ
 dicitur autoritate, eadem negari potest. Qui
 negat, nihil probare debet, sed qui affirmat.*

v. 14. *Nec fuit similis diei illi ante
 eum, vel post eum*) *Hebraei Doctores* in *Capitu-
 lulis R. Eliazaris*, & in tractat. de cultu alieno, post
 longas morosasq; altercationes, in eo ferè conveni-
 unt, die illo Josuæ bis interquevisse Solem; semel in
 Cœli parte mediâ, iterum in ultimâ. Hæc eliciunt
 pro suo acumine è verbis: *substitit in medio cœli*: Item,
non matura vit occumbere. Itaq; alii hunc diem 36, alii
 48. horarum spatio definiunt, ac nullo negotio diei
Ezechiæ (2. Reg. XX, 11. & *Jes.* XXXVIII, 8.) antepo-
 nunt. *Justinus* quoq; *Martyr Dial.* cum *Tryph. Josuæ*
 anam

anam diem facit 36. horarum, quæsi 24. horæ supernaturales accesserint duodecim ordinariis & naturalibus horis. Ad hoc verò *Resp.* (α) verba, & non festinavit occumbere, non inferre Solstitium sub vesperam factum, cum Sol occumberet. Sed notare solum immobilem stationem Solis. (β) Non esse necessarium, ut detur regressui Solis in horologio Achar decem horarum spatium; quia transire potuit decem lineas uno momento, DEO ita volente & jubente; (de quo in solut. Qv. III.) Proinde iterato cursui decem horæ tribuendæ sunt tantum, quæ faciunt horas illius diei 21, cum dies Josue (integris horis duodecim additis, qui est dies artificialis) fuerit horarum 24. (γ) In Ebræo nihil de comparatione longitudinis habetur, sed versio *Vulgata*, quæ hîc habet: *Non fuit antea & postea tam longa dies*, disputandi occasionem præbuit Interpretibus, utra dies longior fuerit, hæc ne an illa, cujus mentio in historia *Ezechia*? Quam disputationem invenies apud *Nicolaum*. Vid. etiam *Sixtin*, ab *Amama Anti-Barb.* Bibl. l. 3. p. 381. seqq. Videtur Scriptor facer omnium optimè se explicare, antecedentibus verbis, *non fuit sicut dies illa ante eam, & post eam, vel similis diei illius*, subjungens: *ad audiendum Dominum in voce Viri. Talis*, inquit, *dies antea non fuit, neq; posthac erit*. Nunquam enim postea ad preces hominis Sol cursum suum intermisit; ne quidem *Ezechia* tempore, ubi umbra horologii recessit ad decem gradus, in signum recuperandæ valetudinis, quam DEUS ipsi promiserat, licet ipse signum illud non petiisset, ita *Drusius* ad v. 14. cap. X. Jos. Ante illum verò *Masius* ad h. l. de hujus nostri diei longitudine non agit compa-
ra-



ratio. Sed is eo solum antefertur diebus quibusvis, quod nullum alium diem Deus ad illius hominis preces, cadendi hostis gratia, interrupto solis cursu, sic produxit, ut hunc produxit. Quæ facile sufficiunt, ut curiosis hic opus non sit quæstionibus, de quibus tamen allegat. *Sixtin.* consuli poterit.

Et reversus est Josue) *Masius* censet anticipationem hic ponere eorum, quæ vers. ultimo locanda erant. Sed non est opus eò confugere, dicendum potius: *reversus est*, non actu, sed cogitatione. Nam priusquam reverteretur ad castra in Galgal, acciderunt ea, quæ post narrantur, cum nunciatum esset Josuæ quinque Reges latere in spelunca Macedæ. Sic Balaam ad suos rediisse memoratur, h. e. redire cogitasse, Num. XXIV, 25. Quod ipse *Masius* non absurdè dici posse, in seq. opinatur.

QVÆSTIO I.

An Sol tempore miraculosæ suæ stationis fuerit meridianus?

Qui hoc affirmant ex textu sic argumentantur:

I. versu 12. dicit Josua: *Sol in Gibeon sta, & luna in valle Ajalon.* Sed in Gibeon fuit Sol in meridie quæ civibus erat verticalis.

E. in meridie stetit.

II. Argumentum ex v. 13. *Stetit sol in medio cælorum.*

At in meridie est Sol in medio cælorum.

E. Sol in meridie stetit.

Eee

Coro



Contrà alii opponunt:

I. Si sol stetit in meridie, non potuit Josue lunam, videre.

Sed vidit eam.

E. Sol non stetit in meridie. Sic & per conseq. stetit in occasu.

MAJOR *probat*, Quia qvo Sol magis ad perpendiculararem lineam, ascendit, eò magis impedit reflexio radiorum conspectum stellarum & Lunæ.

Prob. MIN. quia Josue dicit in oculis populi: Luna sta v. 12.

II. Si sol in meridie stetit, habuit Josue nullam causam petendi, ut eo tempore miraculum fieret.

Sed hoc absurdum est.

E. illud falsum.

Probat Copulatum. Nam Josue ideò petiit miraculum, istud ne sibi deesset tempus & diurnum ad persequendum hostes.

Sed in meridie non defuit ipsi tempus diurnum.

E. nec ut meridiano tempore id fieret, petiit.

Assumptum probatur. Quia temeritatis est, petere miracula absq; causa.

ΑΥΤΙΣ.

Textus clarè dicit: *Stetit sol in medio cælorum.* Qui secus sentiunt, Solem potius in occasu extitisse, cum sisteretur, ii solent cum scholasticis distingvere *inter medium æquidistantia & interpositionis.*

Æquidistantia medium est, à quo æquales lineæ ad utramq; extremitatem ducuntur. Hoc sensu sol est in me-

me-

mediocœli, cum ejus circulus meridianum circum secat.

Medium verò interpositionis, est totum spatium utraq; extremitate seu totus ambitu inclusum. Secundum hanc posteriorem acceptionem videmus omnes stellas in mediocœli i. e. intra hemisphærium inter duas ex trinitates orientis & occidentis.

In Hebræo est רָצוּן , quod significat partem totius dimidiam, רָצוּן significat *per dimidium dissecuit*, optime quadrat ad hemisphærium, quod est dimidia sphaera totius globi cœlestis. His præsuppositis apparet, quæstionis sententiam utramq; videri probabilem: nos utriq; aliquid indulgentes, verba textus de situ Solis & Lunæ ἐν πλάτῃ intelligimus, quod sol super Gibeon circiter stetit, licet jam meridianum præterisset. Non ergò necesse est miraculum præcisè in ipsa meridie evenisse. Atq; hæc responsionem suppeditant ad I. argumenta partis affirmativæ.

In II. MINOR loquitur de medio distantia meridianum circum desiniente.

QVÆSTIO II.

An S. Scriptura nobis sufficiat ad salutem?

Resp. Pontifici pro sententia negativa sic argumentantur ex nostro textu. Sufficiens est, cui nihil deficit.

At S. Scripturæ nonnulla deficiunt.

E, S. Scriptura non sufficit.

Ecc 2

Prob,



Prob. MINOR, quia v. 13. fit mentio libri iustorum, five recti, sicut & 2. Reg. I, 18. qui tamen nostro tempore nullibi extat.

Contrā.

Scriptura, ex qua fidem in Christum, æternam vitam & veram Christiani perfectionem consequi possumus, ea sufficit ad salutem.

At talis est S. Scriptura.

E. nobis sufficit.

MAJOR est manifesta, quia posito effectu, necesse est sufficientem causam præcessisse, quia nihil facit ultra vires suas.

MIN. *prob.* Joh. XX, 31. It. Joh. V, 39, & 2. Tim. III, 15.

Λύσις.

Est igitur in objecto argumento *fallacia plurium interrogationum.*

Nam non quæritur: *An de S. Scriptura libri aliqui interciderint, exempli causa: Liber iustorum, aliæ Sionitis: Adde: & Semejæ. 2. Par. IX, 29. It. 2. Par. XII, 15.* Sed hoc quæritur, *an libri scripturæ sacre, qui ad nostras manus pervenerunt, sufficiant ad salutem.* Contra hunc statum Objectio nihil concludit, nisi plusquam in præmissis fuit. Quod autem defectus libri illius iustorum Judæis nullam salutis jacturam attulerit, inde constat, quod ex Mosis & Prophetarum libris potuerunt discere rationem consequendi beatitudinem & flammam inferna effugiendi. Luc. XVI, 19.

Qvan.



Quantò minus defectus ejusmodi nobis in N. T. nocebit?

QVÆSTIO III.

An die hoc geminato dari possit ullus longior?

I. Negat textus his verbis: *Non fuit antea nec postea tam longa dies. Non enim festinavit sol occumbere circumter diem integrum.* מִמָּחָר מִיּוֹם.

II. Ecclesiasticus c. XLVI, 5. diem istum longum ita describit, quod habuerit longitudinem 2. dierum. *μία ἡμέρα ἐγενήθη πρὸς δύο.*

Contrà.

Et XXXVIII, 8. legimus, quod tempore ægrotantis regis Ezechiaë sol in horologio Ahas miraculi causa per 10. lineas seu gradus retrocesserit. Ex his sic argumentor: Dies longus tempore Josuaë vix ultra 24. horas extenditur:

At dies longus tempore Ezechiaë ultra 30. horas extenditur.

E. hic illo est longior.

Prob. MAJ. Nam in terra Canaan, ubi sol æqvatori vicinus non prorogat diem ultra 13. vel 14. horas ad summum.

Prob MIN. Quia sol erat in tali statu rùm temporis, ut posset descendere per 10. gradus 4. Reg. XX, 10. qui efficiunt 10. horas. His adde 10. gradus *ῥετροσσησι* μὲ i. e. retrocessionis Solis & alios 10. quibus rediit ad

Eee 3

pri-



pristinum punctum, unde retrò abierat. Sic totius diei longitudo ultra 30. horas excrescit.

ΑΥΣΙΣ.

Resp. ad Objectionis minorem *per negationem*.
 Nam probatio procedit *ex falsa hypothesis*, unum gradum in horologio Achas solari constituere unam horam; id quod falsum esse ab absurdo probo. Nam quia in terra Canaan dies non est longior 13. vel 14. horis, dato quod Sol naturaliter potuisset descendere per 16. gradus, necesse est, eum occupasse gradum tertium vel quartum orientalem eò tempore, quo Hiskia miraculum exhibitum est. Jam Sol miraculose 10. gradus retrò abiit. Ergò necesse est iterum eum 6. vel 7. gradus infra Horizontem aufugisse: at quæ infra Horizontem fuissent, ea in Horologio regio super terram videri non potuissent. Dedisset itaq; DEUS in horologio miraculum visibile, quod tamen in eò totum conspici non potuisset: absurdissimum. Concludo igitur unam lineam, seu gradum unum horologii Achas non constituisse unam horam, sed procul dubio duos unam horam præstitisse. Addo & hoc: Non necesse fuit, Solem retrò versum per tot gradus redire: sed potuit DEUS illum in momento ad sedem naturalem revocare.

QVÆSTIO IV.

An Josua rectè fecerit poscendo miraculum?

Non



Non videtur rectè fecisse. Nam sine DEI mandato & non urgente necessitate miraculum non est petendum.

At Josuæ deficit mandatum DEI, neq; eum urget necessitas.

E. Josue non debebat postulare devitaturus notam temeritatis.

Prob. MAJ. Quia in omni petitione debemus certi esse de voluntate DEI, an velit nos exaudire. Et est sane acerba objurgatio, quæ Christus utitur in Pharisæos Natth. XVI, 4. *Generatio prava & adultera signum quaerit.*

MIN. prob. DEUS non jusserat Josuam miraculum postulare. Deinde sufficere poterat ad omnem consolationem verbum promissionis v. 8. *Ne timeas eos; in manus enim tuas tradidi illum.*

Contrà.

Injusta petitio non exauditur à DEO.

Sed Josuæ petitio exauditur, stantibus ad ejus vocem Sole & Luna.

E. Josuæ petitio non fuit injusta.

Resp. ad Objectionem per distinctionem & negationem minoris: *Mandatum DEI duplex est, externum & internum. Externum est, cum DEUS per Esaiam dicit ad Ahas; Pete tibi signum Es. VII, II. Internum nihil aliud est, quam heroicus motus à Spiritu Sancto in μεγαλόθυμοις DEI excitatus. Nam quod hi faciunt singulari Zelo, id DEI jussu rectè fieri aestimandum est.*

Ta-



Talem igitur habuit Josue etiam Zelum loco divini mandati. Contra utrumque mandatum defuit Pharaeis, qui DEO nolente ex mera temeritate & curiositate petierunt miracula. Deinde *necessitas petendi miracula non est simplex, sed dependens à DEI gloria, veritate verbi & salute hominum*, quemadmodum hoc miraculum illustrat, victoriam Josuæ commendat DEI Israelitici majestatem, confirmat verbum promissionis, Gabaonitas convertit, hostes terret & fugat. Horum & similium causa quæ fiunt, haud præter necessitatem facta merito censemus.

LOCI COMMUNES Theologici.

I.

De promptitudine juvandi proximum.

Josue non deserit Gabaonitas sibi confederatos, sed eorum patrocinium quanta potest fide sine omni molestia suscipit: sic laborantibus in Christo fratribus libenter unusquisque pro virili succuramus, nec permittamus eos calamitatum voragine absorberi. Non enim nobis solum nati sumus, sed etiam proximo, cui debemus omnia charitatis officia, juxta dictum Rom. XII, 14. *Necessitatibus seculorum communicate.* Et Eph. V, 2. *Ambulate in dilectione.* Benè igitur Job de se prædicat c. 29. v. 15, sq. *Oculus fui cæco & pes claudæ, pater eram pauperum.* Ad Davidem tanquam ad asylum confugiebant constituti in angustia & oppressi ære alieno & amaro animo, 1. Reg. XXII, 2. Qui verò fratrem æ-

ru-



rumnis conflictantem per fidem deserit, facinus committit pudore expiandum, de quo *Plautus* in *Trinummio*:

Bene si amicis feceris,

Ne pigeat fecisse, at potius pudeat, si non feceris.

Amicum deserere & non juvare in rebus adversis pudor.

Deinde *Josue* non diu differt auxiliu, sed repente in hostes irruendo supplicibus fert auxilium. Sic qui alteri inservire cupit & prodesse, maturè id faciat, ne cunctando beneficii gratiam perdat. Nam ut *Euripides* canit in *Rheso*:

Beneficium inopi bis dat, qui dat celeriter.

Seu ut *Lucianus* inquit:

ὀκῶμαι χάρεις γλυκερωτέρας εἰδὲ θεαδύνη
πᾶσα χάρεις κενεὴ μὴδὲ λέγοντο χάρεις.

Ausonius sic vertit:

*Si bene quid facias, facias citò; nam citò factum
Gratum erit, ingratum gratia tarda facit.*

Et *Democritus* apud *Stobæum* dicit: ἡ θεαδύτης λυμάνων ἢ ἴν ὀσιν ἰ, e, mora seu tarditas vitiat donum.

II.

De presentia DEI in legitimis bellis.

Duobus insignibus miraculis ornat & coronat *DEUS* victoriam *Josua*, ut testatum faciat, se justa & legitima bella in ejus timore administrantibus præstò esse & eorum hostes cœlesti virtute conterere ac profligare.

F ff

ga



gare. Quemadmodum etiam Israelitas adversus Philistæos pugnantes magno tonitruī fragore adjuvat. I. Sam. VII, 10. Cui victoriæ non dissimilis est victoriæ *Theodosii*, qui Eugenium & Arbocastum Ecclesiæ hostes in alpium angustiis magno prælio vicit ventis hosti flatibus contrariis resistentibus, cuius gloriosi facinoris meminit *Sozomenus* lib. 7, cap. 24, *Hist. Eccl.* & *Claudianus* in hisce versiculis.

*Oninium dilecte DEO, cui fundit ab alto
Juppiter armatas hyemes, cui militat æther,
Et conjurati veniunt ad prælia venti.*

Eusebius *Hist. Eccl.* lib. 5, c. 5. nec non *Tertullianus* in *Apologetico* & ad *Scapulam* cap. 4. memoriæ tradit, *M. (Aurelium)* in expeditione contra *Marcomannos* Christiana legione usum esse, quæ ob defectum aquarum in limine mortis constituta precibus ad DEUM fufis impetravit tempestatem, quæ non tantum sitientes largo imbri reficeret, sed etiam fulmina crebra in hostes ejacularetur.

III.

De Creaturarum obsequio.

Omnes creaturæ sunt DEI exercitus semper stantes in procinctu ad ulciscendos hostes & amicos defendendos. Unde DEUS sæpissimè *Dominus Sabaoth* appellatur. Hoc loco *grando*, *Sol* & *Luna* pugnat pro *Israel* & *Gabaonitis* contra *Amorrhæos*. Felices igitur à quorum partibus stat DEUS: horum enim salutem universa cæli terræq; militia propugnat. At
qvi

qui ejus favorem sceleratis moribus & factis temerè effundit, is cum univerſa rerum natura graviffimam ſibi adverſariam & pugnam conſtitutam eſſe ſciat. Dolendum autem eſt, nos ad voluntatem DEI adeo tardos & ſtupidos eſſe, cum videamus creaturas non tantum ratione, ſed etiam omni ſenſu vacuas juſſa omnipotentis veluti cum tripudio illicò capereſcere.

IV.

De efficacia fidei & piarum precum.

Tanta eſt vis ac robur fidei & piarum precum, ut non tantum naturam immutare poſſint: Sed etiam Deum ipſum humanæ voluntati quaſi obſequentem reddere, non quidem coactione aliqua, ſed pro libera ſua voluntate, quæ veluti pater cum infantulo ſuo ludens, ſe ipſum ad confirmandam veritatis promiſſionem credentibus captivum tradit: Sicut hic v. 14. dicitur *Obediſſe voci hominis*. Neque enim poteſt aliter facere quam credentes petunt, quippe quem propria promiſſio auxilii arctiſſimè adjuvandum obſtringit, ut non tantum non velit, ſed etiam ne poſſit quidem credentes vincere. Talis victor erat *Jacob*, qui ob fidei victoriam dictus eſt *Israel* Gen. XXXII. Et *mulier Cananæa*, quæ licet tribus vicibus gravem tulerit repulſam, tamen pugnando tam diu iſtat, donec Chriſtum armis fidei ad ferendam opem quaſi expugnavit Matt. V. *Tanta eſt vera fidei virtus! tanta efficacia! quæ vincit Diabolum, vincit mundum, vincit invincibilem, & ligat omnipotentem: attingit inaccessa: deprehendit ignota, comprehendit immenſa!* exclamat

Eſſ 2

Bernh.



Bernh. Et preces justorum plus valere, quàm arma, quàm equitatum, quàm pecunias, quàm multas copias, quàm innumeram militum multitudinem, Mosis exemplo *Chrysoft.* docet. Apud *Talmudicos* assimilantur preces justorum pala. Quid est pala? quæ vertit frumentum de loco in locum: sic preces justorum vertunt proprietates DEI sancti benedicti ex proprietate iracundie, in proprietatem misericordie, *Jevammoth fol. 64. col. 1. R.* Juda similitudinem suppeditat de filiâ stupratâ, quam mater ejicit præ indignatione, & tamen dolore parturientis iterum capitur; ita & per orationem DEUS.

LOCI POLITICI.

I.

De non denegandâ ope pressis & petentibus.

Primus inter Locos Theol. promptitudinem juvandi proximum, cum primis *domesticos fidei*, (*Gal. VI, 10.*) in genere commendavit: Nunc ostendendum in specie, *generosi Ducis non esse, opem pressis ipsumque debitâ submissione & servorum nomine ad succurrendum sollicitantibus, denegare, exemplo Imperatoris Josue.* Nam quos pura religio ut DEI amore ita, verâ humanitate informavit, iis omnis vitæ conditio, quantumvis humilis, suorum hominum sibi ob oculos posita in explicabilem injicit ferendæ opis necessitatem. Neque enim potest is penes quem est principatus suos populares aut cives, neque herus suos fer-

servos, citra turpem crudelitatem, in periculis vel animi vel corporis negligere; non magis quam parens suos liberos. Nam quos quisque sibi parcere æquam censet, eorum se rebus consulere æquum esse debet existimare. Et *Leges Civiles* servum in libertatem vindicant, quem morbo periclitantem domo sua herus ejecit publicè, neque eum ipse procurans, neque alii commendans, vel alio, quo potuit modo, juvans C. de Latin. lib. tollend. §. Talis itaq; servus & l. 2. ff. Qui sine manumiss. ad lib. perv. Neque profectò abs re apud omnes tam profanos quam sacros scriptores ii, qui in alios homines denominatione utuntur, *patres* atque *pastores* vocantur. Est autem *pastorum* manus, non solum pascere, sed etiam tueri suas oves, atq; eas omnino procurare. Et patribus natura ipsa prolium suarum curam imposuit.

II.

De concordia vinculo incolumitatis in omni societate.

Observanda erat suprà cap. IX, 19. sancta Principum omnium Israelitici populi inter ipsos concordia; quâ factum est, ut suam in populum auctoritatem facillè tenerent. In hoc autem cap. v. 7. memoratur *omnem populum militarem omnesq; viros strenuos* eduxisse secum in expeditionem Josuam. Potuisset sperare suorum militum animos non fore alacres ad subveniendum illis, quos nuper ipsi lubenter oppressissent armis. Verùm noverat Imperator cordatissimus animum suorum, noverat quod omnis exerci-



rus cum illo concordaret, noverat, quod ipsum summa fide, cura, diligentia, ubivis locorum sit sequuturus, cetera DEo permittitur, a quo omnium victoriarum eventus pendet & bellorum exitus. Sic in choris, cum dux carminis hymno præcinit, concinnentium vulgus virorum mixtis gravibus & acutis clamoribus unam harmoniam resonant. Conspicitur hinc quasi annulus ex complicatis alternatim manibus confertus: in cujus capite relucet *adamas*, palæ annuli veluti infixus: circumlegitur vox: *Constanter*. Quæ Emblematis figurâ *quidam* non inconcinnè concordiam, suppeditavit, ambitu & *ἀρετῆς* *constantiam*, sorores duas conjunctissimas, quæq; in rebus humanis usu & dignitate plurimum valent, *Concordia enim vinculum est incolumitatis in omni societate*: hoc regna ac cives (copias s. milites) inter se constringit; hoc eisdem cum Principe (Imperatore & Ducibus) copulat: hoc domesticam tuetur societatem. Quam diu propugnaculi saxa firmiter inter se cohærent, tam diu est inexpugnabile: at simul ac parietes facere labem incipiunt, statim corrui totum ædificium. Conjunctæ guttæ in rivos fluminaq; coeunt, separatæ modico tempore siccantur: Ut conglobati pulvisculi assurgunt in excelsos montes, dispersi verò cedunt ventorum ludibris: *Ut lapis è Scyro insula*, inquit, *Plinius fluctuat integer, communitus autem subsidit. Sic res discordiâ pessum eunt, concordia sustentur. Micipsa Numidarum Rex prudentiæ regum specimen ac documentum dedit filiis suis moriens, illos ad virtutem concordiamq; his verbis adhortans: Regnum vobis traudo firmum, inquit, si boni eritis; sin mali, imbecillum;*
nam

nam *Concordiâ parvæ res crescunt, discordiâ maxime dilabuntur.* Scipio cum deleta Numantia cæteras Hispaniæ gentes ordinaret, interrogavit quendam Celtarum Principem, *quâ de causâ res Numantina invicta ante steterit, nunc autem eversa sit;* illa respondit: *Concordiâ invicta: discordia exitio fuit.* Iſeus Sophista olim (Lacedæmonis periclitantibus, ac de civitate sua mœnibus cingenda consultantibus) sententiæ loco, cum interrogaretur, versum *Homericum* recitavit, cujus sensus Romanâ lingvâ hic est:

Scutum hæsit scuto, galeæ galea, atq; viro vir.

Et adjecit: Sic mihi stete Lacedæmonii unanimes & conjuncti: & muro de lapide structo non indigebimus. In principum quoque & subditorum concordia & consensione sitam esse salutem publicam, innumera veterum docent testimonia. *Synesius* nullum firmiter & stabiliter imperii præsidium esse censuit, quàm civium benevolentiam erga principem, vel magistratum.

*Non sic excubiæ, non circumstantia pila
Ut tutatur amor: -- inquit Claudianus.*

De domesticæ societatis concordia *Pytho* Rhetor Byzantius olim: obesso corpore sum, ut videtis, cives: Sed uxorem habeo longè me obesiorem. Et tamen concordēs quodvis grabbatulum capit ambos: discordēs ne tota quidem domus, quāquam ampla. Et ille *Antisthen.* fratrum, qui concordēs essent, convictum quovis muro dicebat esse fortiorem, *ὁμοῦσιν ἀδελφῶν συμβίωσιν παντὸς τοῦ τείχους ἰσχυρότερον εἶναι;* ap. *Laërt.* in *An.*

Antisthene. Adde *Sciluri* Scythæ, octoginta filiorum patris factum, qui paulò ante mortem omnes acersens, fasciculum jaculorum, singulis frangendum porrexit: at illi, cum id ne tentare quidem voluissent, quòd viderent, id esse supra vires omnium; Sapiens pater, singula educens ac rumpens, facile fregit universa, addens, idem esse eventurum, nisi concordēs conjunctiq, viverent; ex *Plut.* in Apopht. Quo ipso confœderatis Belgii provinciis Emblemata monetale suggestit. Horum commodorum respectu, Symbolum concordia, confertas dextras olim in vexillo Romani ferebant milites; ut auctores sunt Scriptores rerum bellicarum; ut concordia velut imaginem & typum semper in oculis haberent, & ab omni dissensione abstinere. En! in omni societate, etiam

parvis dives concordia rebus. Silus.

III.

De frugalitate imperatoris & Ducis bellici.

Dicitur ascendisse Josua de Gilgal & cum eo omnes גבורי החרו, *potentes virtute*. Quod significare puto eos viros, qui non solum manu prompti & animo imperterriti adversus hostes essent, verum etiam consilio atq; industria ad res deliberandas constituendasque pollerent. חרו enim apud *Hebræos* non magis ad corporis vires quam ingenii pertinet. Sæpè enim *industriam, sedulitatem, ac cum prudentiâ consociatam diligentiam* significat; & tres ferè virtutes continet, **FORTITUDINEM, JUSTITIAM, PRUDENTIAM.** Quare optime & Latinissime **FRUGALITAS**

FRUGALITAS dici posse videatur, ut certè hoc frugalitatis nomen est à *Cicerone* expositum 3. *Tusc. Quæst. c. 8. & 4. Tusc. c. 16.* Ex quo intelligitur, qualis ille sit, quem dum moderatum, aliàs modestum, temperantem, aliàs constantem continentemq; dicimus. Nonnunquam hæc eadem vocabula ad **FRUGALITATIS** nomen, tanquam ad caput referre volumus. Quod nisi eorum nomine virtutes continerentur, nunquam illud pervulgatum esset, ut jam proverbij locum obtineret: **HOMINEM FRUGI OMNIA RECTE FACERE.** *Justin. lib. 20.* *Pythagoras* velut genitricem virtutum **FRUGALITATE** *Momnibus* ingerebat. At *Sophocles*; διδάσκαλος ὁ θεὸς ἡ ἐπιτέλεις σοφῶν, καὶ τῶν ἀρίστων γίνεται βελευμάτων: *Magistra enim FRUGALITAS sapientum, optimorumq; consiliorum.* Hinc *Pharao* cupit suis gregibus præfici **פְּרָגִים** h. e. *gnavos, sedulos, industrios viros*, *Gen. XLVII, 6.* Et *Ruth* vulgò habeatur **פְּרָגִים** frugi mulier, *Ruth. III, II.* qualem *Salomon* alibi dicit, viro suo esse pro coronâ, *Prov. XII, 4.* alibi, ut inventu difficillimam, non tam de corporis quam animi virtutibus mirificè deprædicat, *Prov. XXXI, 10.* &c. Quâ virtute cum sit inter homines nihil formosius, nihil pulchrius, nihil amabilius, eâ oportet cum primis esse ornatum & præditum Imperatorem ac belli Duce[m]. Ita *Cicero* *Philipp. 2. extr. de virtutibus imperatoris*: Fuit in illo (*Cæsare*) ingenium, ratio, memoria, littera, cura, cogitatio, diligentia. Et *Corn. Nepos* cap. I. n. 3. in *EUMENE*: Vincebat omnes curâ, vigilantia, patientia, calliditate, & celeritate ingeni, i. e. **FRUGALITATE.**

IV.

De celeritate itidem in Imperatore & belliducere requisita.

Videmus vers. 9. expeditam celeritatem & festinationem illam, quâ Josua cum suis copiis unius noctis spatio è castris ad obsessam Gabaonem pervenit, nullamque partem ejus noctis quieti datam esse, sed universam in faciundo itinere consumptam, ac ita primo mane de improvviso perventum esse ad hostes. Magna igitur sollicitudo, celerisq; diligentia Imperatoris non immeritò laudatur, qui non suarum voluptatum (quas Magistratus nostri seculi ferè ex rebus plus quam puerilibus certè eo fastigio dignitatis indignissimis comparant) tantam curam, quam demandati officii suarumq; expeditionum habebat. Nempe intelligebat vir prudentissimus, nunquam faciliùs hostem opprimi quam si inopinans & vacuus metu atq; ab rebus omnibus imparatus invadatur. Quâ arte *Julium Cæsarem* tot victoriis clarum fuisse, ne ipsius quidem dissimulavit. Notum est enim illud ejus responsum, unde *àva Cæsaribus*, & illud *Themistolis*, *Amicos patientia, hostes celeritate*, cum uterq; de suis victoriis fuisset interrogatus. Qua verò ratione in aliquo discrimine *celeritas Agesilati consilii* salutis fuit universis, nunc non lubet attingere. Vid. *Nepot. cap. 6, n. 2. f.* Suppetunt S. historiae exempla. *Abraham* enim, ut fratris sui filium Loth à Barbaris captum reciperet, in ipsis tenebris hostem improvisò oppressit, ceciditq; *Gen. XIV, 15.* *Gideon*, per diverticula facto itinere castra secunda nihilq; mali metuentia Regum.

Ze-



Zebee & Salmana adortus delevit; Jud. VIII, II. *David*,
 ut captas ab Amalekitis tum suas tum comitum suo-
 rum uxores & bona recuperaret, hostem dubiâ luce,
 invasit, epulis & gestiente lætitiâ solutum, I. Sam.
 XXX, 16, 17. Quippe improvisum malum semper,
 eò gravius difficiliusq; accedit illo quod expectatum
 est, quò est securitas injuriis opportunior quàm cautio
 atq; provisio. Sed existimet fortasse quispiam, nihil
 Josuæ tantâ diligentia, tantâq; celeritate fuisse opus,
 cum illi DEUS certissimam pollicitus esset victoriam,
 atq; hostes tantum non in manus jam tradidisset. Illa
 enim, milites lætissimos ducere in expeditionem,
 properare, de nocte iter facere, improvisò invadere,
 suâ industriâ nitentis potiùs quàm DEI pollicitationi-
 bus fidentis esse videntur. Atqvi *fortunam ad motâ*
manu esse invocandam, commodè monere aliquos
 memini. Non est profectò existimandum, DEI beni-
 gnitatem ad fovendam nostram ignaviam spectare.
 Nullum est dubium, quin Josua illis DEI promissis fide-
 dem integerrimam adjunxerit, inque illis perinde ac
 si in re præsentî versaretur, acquieverit: sed quo illa
 certius eventura credebat, hoc suum sibi enixius ex-
 sequendum esse munus rectè cogitabat. DEUS enim
 ad pleraq; beneficia, quod gratuito in nos confert,
 nostram ipsorum operam, neque eam levem aut se-
 gnem, sed acrem, gnavam, industriam requirit; non
 quidem quo nostro auxilio egeat, cum sit omnipotens,
 sed ut nostram voluntatem atq; arbitrium ad suum
 consilium accommodet, eaq; re mutuam in se amo-
 rem nostrum excidet. Sed hæc *ὡς ἐν παροῦσι*. Manet
 interim, *celeritatem in belli Duce magnum addere mo-*



mentum felicitati eventus. Vid. Freinsb. ad Curtium lib. 5. cap. 5. 2. & Conf. Barth. ad lib. 2. Theb. Statii, p. 647.

V.

De bellis intestinis.

Malè consulunt imperiis suis reges Amorrhæi, quod vicinis suis bella inferunt, quibus ipsi sese mutuo conficiunt. Hinc perspicimus, quam tristem eventum bella intestina fortiantur, quamque sint miseri, qui ista suscipiunt. Hoc nomine infelices proclamant *Agésilæus* Græcos, cum enim audisset, pugnatum esse infeliciter, atque quam plurimos Corinthos cæterorumque sociorum permultos occubuisse, nullam in vultu lætitiæ, aut ob victoriæ gaudium prætulit, sed altè ducto gemitu; *O infelicem*, inquit, *Græciam, quæ tamen hominem ipsa sibi interemit, quantum satis erat ad vincendum universos barbaros*: Sapienter iudicans debere bonos cives arma sua non in se, sed in hostes convertere. Huc pertinet præclara *Herodoti* sententiæ, quæ extat in *Urania* de Atheniensibus nolentibus certare cum Spartanis de imperiò. *ὄμοφρονέοντι δὲ τοῦτο κακίον ἐστίν, ὅσω πόλεμον εἰρήνης. i. e. Bellum intestinum tantò nocentius est bello, quæ consentientibus animis geritur, quantum bellum est nocentibus pace.*

v. 16. *Fugerant enim quinque reges*)

Rectius lege: *fugerant* autem. Vers. præced. reversus dicitur *Josua*, quod reverti inceperit, iterque reflexerit. Nam quæ sequuntur de regum interitu, prius eodem die peracta sunt omnia, quam *Josue* ad castra

re-



reversus est, uti audiam jam. Narratur autem triumphus de Amorrhæis regibus ductus, qui in spelunca Makedana obvolutis faxis inclusi, tamdiu custodiebantur, donec omnes, qui per fugam salutem quæsierant, consumti essent. Tum demum in medium adducti non tantum pedibus conculcati sunt, sed etiam ad apricum solem suspensi.

v. 21. *In Makeda ubi tunc castra*

Si quis quærat, an castra ex Galgalis ad Makedam translata sint, ei respondeo: Castra ibi mansisse cum suis custodibus. Modò enim audivimus, Josuam ad castra Galgalæ reversum esse: interim castra quoque appellat textus, qualemcunque apparatus cibi, aliarumque rerum ad bella pertinentium, quæ ubi servabantur, ibi castra locata esse dicit historia.

v. 27. *Cumque occumberet Sol*

vel est *adliansus*. Nam in sequenti textu eodem die legitur Makeda capta: id quod occasum solis præcessisse nullum est dubium: vel reliquit post se Josue nonnullos, qui cadavera regum de arboribus toilerent & in speluncam projicerent.

QVÆSTIO:

An laudandum sit facinus Josue, quod victos & captivos reges pedibus principum Israeliticorum conculcandos subjicit?



Negatur.

I. Quod tyrannidis speciem habet, non est laudandum.

Sed hoc factum habet tyrannidis speciem.

E. non est laudandum.

MIN. *prob.* quia ut Aristoteles dicit l. 5. c. 10. ἐστὶ σκόπη τῶν τυραννικῶν μὲν τὸ εἶδός, βασιλικῶν δὲ τὸ καλόν. e. *Scopus ac finis tyranni quidem est voluptas, regis autem honestas.* Jam reges Amorrhæi nonne ideo pedibus feruntur, ut populus Israël ex hostium miseria & calamitate gaudium capiat.

II. Tyrannicum est, hosti victo insolenter insultare.

III. Quod ad impiorum magistratuum imitationem fit, laudandum non est.

Sed hoc factum fit ad impiorum &c. aut idem exemplum similia perpetrandi dedit.

E. non est laudandum.

MIN. *prob.* Hoc enim pacto improbus *Pontifex Alexander* pium Imperatorem Fridericum Barbaroff. Venetiis præ foribus templi D. Marci veniam supplicii gestu petentem pede calcavit, teste *Sabellico* lib. 7. Decad. 1. Sic *Sapores rex Persarum*, cum equum conscensurus esset pro scabella usus est Imperatore Romano Valeriano, quem ad eum finem catenâ ferreâ secum duxit.

Affirmatur.

Quod pio zelo fit ad confirmandam veritatem promissionum divinarum & ad augendam in piis fidem, id laudandum est maxime.

Sed

Sed tale est factum Josuæ,

Ergo, &c.

MIN. *prob.*, quia Josue non proposuit sibi hoc, ut cum populo voluptatem caperet ex calamitate & miseria hostium, sed ut animum suum delectaret veritate seu complemento divinæ promissionis, & ut hoc exemplo victoriæ gratiosæ tanquam visibili signo ac testimonio populo persuaderet, quod DEUS etiam reliquos hostes pari successu sit everfurus. Sic enim populum alioquitur v. 25. Nolite timere, nec paveatis. Sic enim faciet Dominus cunctis hostibus vestris.

Λύσις.

Nego igitur in primo argumento MINOREM cum sua probatione. Loquitur enim illa de carnali lætitia, quam privatæ vindictæ libido parit. At Josue capit ex interitu hostium lætitiā partim spiritualem ob communem Ecclesiæ salutem & divinum auxilium: partim politicā, cum victor gaudet de periculis exantlatis & pacis redemptione. Quo sensu rectè *Cyrus* l. 4. ap. Xenophont. de institut. Cyri dicit: ἡδοὴν τὸ νικᾶν παρέχει. i. e. voluptatem præbet victoria.

Resp. ad II. Exemplum Saporis & Alexandri turpem *ἡδονὴν ἀλατῶν* & insolentiam præse fert, à quibus Josue est alienissimus.

LOCI THEOLOGICI.

1.

De pœnarum divinarum certitudine.

Frustrā conantur Amorrhæi vitam per fugam tu-
eri,



eri, quos divina vindicta ob scelera atrocissima morti destinavit. Nam non tantum ex fuga non evadunt, sed etiam in majora se pericula conijciunt, dum contumeliosam & regiâ majestate indignam mortem patiendo re ipsa experiuntur, DEo esse longas manus, quas nemo effugere possit, teste Psalmista Ps. cxxxix, 7. *Quo ibo à Spiritu &c.* Sic DEus dicit Abdia I, 4. Et Amos IX, 2. *Fugient & non salvabitur, ex eis qui fugerint: Si descenderint usq; ad infernum, inde manus mea educet eos.* Hinc fit quod 5. reges in spelunca legere non possint.

Saul evasurus manus Philistinorum in proprium gladium incidit 1. Reg. XXXI, 4. Sennacherib fuga elapsus domi in templo à suis filiis interficitur. Rectè igitur Phavorinus apud Stobæum inquit: *ἢ τί δύναιτο καὶ ἀφύγειν ἀνθρώπων? Ἰσὸν φεύγων? ὅτι οὐ γὰρ ἀν καὶ ἀφύγειν ἢ δύναιτο εὐχῆσθαι.* i. e. Num tandem poterit homo effugere DEum fugiens? Ubi enim effugerit, justitia deprehendet eum.

LOCUS ALLEGORICUS.

II.

De spirituali victoria credentium.

Sicut Josue hostes Ecclesiæ ex spelunca extractos populo pedibus calcandos subjicit: Sic Christus omnes inimicos nostros captivos tenensque ad extremum judicium, ubi eos conteret sub pedibus nostris. Rom. XVI, 20, 1. Cor. XV, 25, Hebr. X, 13.

LO.



LOCI POLITICI,

I.

De urgendo cursu victoriae.

Josue non est contentus faustis victoriae initiis, cum videt hostem in fugam esse conversum, sed fugientes ulterius insequitur, ut eorum vires penitus conterat, nec restaurandi bellum locum ullum relinquat. In quo prudenter agit: Memorant enim historiae multos initia laeta victoriae fecisse, qui cum securi essent, & incauti fortunam in conflictu perdiderunt. Quo nomine reprehendit Parcha Carthaginensis *Hannibalem*. Cum enim hic apud Spartam feliciter pugnasset & amicis quamvis svadentibus fugientem hostem insequi recusaret, exclamavit Parcha; *Vincere scis Hannibal, victoriâ vero uti nescis*. Sciendum tamen est nostrum Josuam singulari uti severitate ex mandato & voluntate DEI: Alioquin laudatur clementia *Sigismundi* Imperatoris, qui objurgatur, quod fugatos hostes non insequeretur & deprehensos occideret; factis respondit, vicit, qui hostes fugavit, significaturus Cadmeam i. e. magno cruore partam victoriam non esse victoriam. *Aeneas Sylvius* lib. 4. de rebus gestis *Alphonfi* Similiter de *Alphonso* refert *Panormitanus* lib. 1. de ejusdem rebus gestis.

II.

De autoribus bellorum.

Calamitates bellicae solent in autores, qui alios ad arma provocarunt, plerumque redundare. Exemplo

Hhh

sunt



sunt nobis Amorrhæi isti, qui à Gabaonitis, quibus primi bellum intulerant, vincuntur, Josuæ sociis auxiliante. Qui itaq; provocantur, plerumq; vincunt, perinde ut *Aristoteles* lib. 9. de animalibus de *Cygnis* scribit: ἀυυονενοι νικῶσι i. e. defensione utentes vincunt, *aquilam*, quæ ipsis pugnam prima movet. Rectè igitur *Lutherus* in Colloquiis: Wer das Messer am ersten zuckt / muß es am ersten einstecken / und wer das Schwerdt am letzten zuckt / der muß es auch zuletzt einstecken.

v. 28. *Eodem die in Makeda*.)

Hoc est *tertia pars capituli* de expugnatione 7. urbium meridianarum factâ uno impetu, ut habet v. 42. Quod non ita est intelligendum, ac si uno die & labore tot victoriæ acquiri potuissent, sed quod Josue ab armis non destiterit, donec eas adeptus esset.

v. 40. *Omnem terram montanam*)

Intelligit *Judeam*, quæ primâ expeditione occupata fuit: partim montana fuit versus Orientem, partim campestris versus Meridiem: Sic *Jeremias* XXXII, 44. eandem distingvit. Limes ejus Meridionalis est *Radesbarnea*, Occidentalis *Gaza*: Septentrionalis *Gosen* & *Gabaon*. Sita autem est *Radesbarnea* à *Gibeon* secundum latitudinem circiter xi. milliaria germanica.

QVÆSTIO

An Josue ob tantam lanienam Canaanorum tyrannidis notam effugere possit?

Vi-



Videtur quod non: Trucidat enim omne, quod spirat, nec ex infantibus aut inermibus fœminis unum hominem superesse.

Sed respondeo: Josue id omne facit secundum expressum DEI verbum Devt. VII, 2. At DEI verbum est norma omnium laudabilium actionum. Huc si spectas, vides Josuam non tyrannidem exercere, sed DEO obtemperare. In DEO autem dari potest *duplex causa*. I. Multitudo scelerum Cananæorum, quæ ulcisci voluit. Lev. XVIII. Devt. VII. II. Quia Cananæi opponebant se promissioni divinæ. Nam promiserat DEUS hanc terram Israeli.
Ei omnes incolæ erant delendi.

LOCI COMMUNES

Theologici.

I.

De pœna peccati.

Quod adeò DEO displicet, ut etiam infantulos cum parentibus ad supplicium rapiat.

II.

De pœna mali commercii.

Rex Gazer vult auxiliari Lachis, sed ipse quoque occiditur: Sic qui se aliis in mala causa adjungunt, eandem cum ipsis fortunam experiuntur. Wer sich unter die Treiber menget / den fressen die Säue.

Hhh 2

CAP.



CAPUT UNDECI- MUM.

ωλειογραφία.

Continet etiam hoc caput ωλειογραφίαν seu bellorum descriptionem, quibus Josue reges Palæstinos versus Orientem, Septentrionem & Occidentem habitantes, vicit ac delevit: omnesq; præterea illorum urbes occupavit & devastatus est: idque omne non nisi virtute & auxilio æterni DEI, qui promissioni patribus olim datæ satisfacturus in hac terra Ecclesiæ suæ gratum hospitium parare voluit, incolis prioribus funditus extirpatis.

Divisio textus.

Dividi potest in tres partes. In primâ vincit & trucidat Josue felici prælio reges omnes adversus Israelitas arma capientes, usq; ad versum 10. In secundâ occupat & exspoliât hostium urbes, usq; ad versum 21. In tertiâ parte interimit Enakim, illorum urbes evertit.

Analysis Logica & Rhetorica

Prima pars de internecone regum, constat i. *υεπιστοιμῶν*, id est, *distributione* hostium conspirantium, quos describit historicus l. à nominibus, exempli causa, Jabin & Jobal; qui præ aliis procul dubio ideò nominantur, quod ipsorum omnium maxima extiterit au-